

298. *De peculio castrensi, vel quasi castrensi testari possunt filifamilias.* — Limitatur tamen doctrina n. 295. posita, in bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, juxta communem et certam, textus expressi sunt in prin. Instit. *Quibus non est permissum*, et § ult. Instit. *de Testam. milit.* l. penult. et ult. c. *Qui testament. facere*, ibi: « Omnes omnino, quibus quasi castrensia peculia habere ex legibus concessum est, habent licentiam in ea tantummodo ultimas voluntates condere. » Ratio est, quia in his bonis filius habetur loco patrisfamilias, ut proinde de iis etiam invito patre pro libitu testari valeat: dummodo pubes sit, arg. cit. *Juribus.* n. 292.

299. *Mancipia ac servi proprie dicti testari non possunt.* — III. Mancipia, seu servi proprie dicti ex dispositione juris facere testamentum nequeunt. l. *Filifamilias.* prin. 16. et l. XIX. ff. *Qui testam. facere.* juncto can. *Illud.* 5. can. 13. q. 2. ubi Glossa, §. *Contradicat*, observat in multis locis vigere consuetudinem, quod servi saltem filiis suis peculium, quod habent, relinquere possint. Notant autem Mysing., cent. 2. observ. 23; Konig, h. t. n. 17. Glettle in *Tract. canonico civili*, cap. iv. § 5, n. 3; Gailus, et alii, servis proprie dictis non annumerari homines proprios, aut nos *Leibeigne*; eo quod, licet in quibusdam locis dure admodum tractentur, revera tamen adhuc liberi ac ingenui sunt.

300. *Capti ab hostibus quando facere non possunt testamentum.* — IV. Absque respectu ad culpam, vel delictum, facere testamentum per leges prohibentur capti ab hostibus in bello justo, l. *Ejus qui.* 8. prin. ff. *Qui testam. facere*, ibi: « Ejus, qui apud hostes est, testamentum non valet, quamvis redierit. » Idem habetur § fin. Instit. *Quibus non est permissum*: ubi etiam additur, quod licet non valeat testamentum, quod captivus facit tempore, quo apud hostes detentus existit, nec convalescat, postquam a captivitate liberatur; valeat tamen, quod ante captivitatem condidit, etsi in captivitate moriatur. Concordat, l. VIII. et XII. ff. *Qui testam. facere.* Ratio autem, cur captivi in bello justo testari nequeant, est, quia statim ac capiuntur, fiunt servi, uti cum aliis bene observat, et ex jure insigniter probat Covarruvias, in *Relect. c. Peccatum*, p. II. § 11. per totum.

301. Verum notat idem Covarruvias, loc.

cit. n. 6. citans Bart. abbatem, et alios, quod hodie capti in bello etiam justissimo, quod christiani cum christianis gerunt, non fiant servi capientium; cum vi consuetudinis reciproce a capientibus ut servi non habeantur, nec ut tales tractentur, sed solummodo detineantur, donec certa pecuniarum quantitate redimantur; consequenter testamentum, quod in hujusmodi captivitate christiani detenti condunt, validum merito reputetur. Idem dicendum existimat citatus Covarruvias, loc. cit. *de Christianis in bello captis per Turcas, et Saracenos*; eo quod hi contra christianos ex odio christiani nominis ordinarie dimicent, consequenter injustum bellum gerunt, sicque capti ab eis, servi eorum revera non evadant, quantumvis ab eis pro talibus habeantur. Unde testamentum, quod christianus ad Turcas captivus condit validum erit. E contra tamen, Turcae a christianis capiuntur, veri et proprii servi christianorum evadunt, ut cum aliis observat Schneidewin, ad § penult. Instit. *de Jure person.* Ratio est, tum quia bellum christianorum adversus Turcas justum est: tum quia jure talionis pro servis merito habentur capti infideles, qui capientes christianum non nisi ut servum habent.

302. *Obsides non possunt testari, nisi eis permittatur.* — Capti in bello aliquantulum aequiparantur obsides, qui publicarum conventionem firmandarum causa ab uno populo traduntur alteri quasi pignoris loco; hac tamen differentia, quod libertatem non statim amittant, nec statim fiant servi illius, cui traduntur; sed tunc tantum, quando pacta a parte obsides dante non servantur. Verumtamen « Obsides testari non possunt, nisi eis permittatur, » l. *Obsides.* 11. ff. *Qui testam. facere.*

303. *De clericis et religiosis. Remissive.* — V. Sunt clerici, et religiosi: de quibus tamen specialiter § sequent.

304. *Damnati ad libellum famosum testamentum facere non possunt.* — Quæritur IV. Quamnam per leges ob defectum morum, vel ob culpam, et delictum sint incapaces faciendi testamentum? Resp. Sequentes. I. Damnati ob libellum famosum, vulgo *Pasquillum.* l. *Is cui.* 18. § ff. *Qui testam. facere*, ibi: « Si quis ob carmen famosum damnatur, Senatuseconsulto expressum est, ut inestabilis sit. » Idem habetur l. XXI. ff. *de Testibus.*

305. *Idem est de damnatis ad mortem.* —

II. Damnati ad mortem naturalem vel civilem, Abbas, *ad Rubric.* h. t. n. 4; Jul. Clarus, § *Testamentum.* q. 21, n. 1, citans communem; Pirhing, h. t. n. 25; Covarruvias, in *Rubric. de Testament.* p. III, n. 27; Layman, loc. cit. n. 2, et communis aliorum, arg. l. *Ejus qui.* 8. § 1. ff. *Qui testam. facere*, et l. *Si quis.* 6. § 6. ff. *de Injusto rupto*, ubi etiam ratio additur; ibi: « Sed et si quis fuerit capite damnatus, vel ad bestias, vel ad gladium, vel aliam poenam, quæ vitam adimit, testamentum ejus irritum fiet, etc.; nam poenæ servus efficitur. » Imo etiam in hoc testamentum, quod ante crimen vel condemnationem fecit, secuta damnationis sententia, nullum et irritum fit, cit. l. *Ejus qui.* 8. § 1. ff. *Qui testam. facere*, ibi: « Si cui aqua et ignis interdictus sit, ejus nec istud testamentum valet, quod antea fecit, nec istud, quod postea fecerit. » Idem est de donationibus mortis causa, l. *Si aliquis.* 7. ff. *de Mortis causa donat.* Excepta donatione conjugii facta, utpote quæ ante crimen facta, etiam post sententiam condemnationis subsistit, l. *Res. c. de Donation. inter virum et uxorem.*, nisi donans sit reus criminis læsæ majestatis, ob quod memoria delinquentis damnanda est. l. *Cum hic status.* § *Si maritus.* 7. ff. *de Donation. inter virum et uxorem.* Donationes tamen inter vivos post crimen commissum, sed ante damnationem factæ subsistunt, l. *Post contractum.* 15. ff. *de Donat.*

306. *Quamvis hodie contrarium etiam probabile sit.* — Non desunt tamen qui docent, etiam post latam jam sententiam et condemnationem, damnatos hodierno jure valide testari, et alias dispositiones mortis causa facere posse; ita namque sentiunt Salicet. in Auth. *Sed hodie.* n. 2. c. *de Donation. inter virum et uxorem.* et plures alii apud Clarum, loc. cit. in Addit. citati; ipseque Clarus fatetur, ita fere ubique observari, quod idem dicit Imola in c. *Quia ingredientibus.* h. l. n. 30. in fine. Ratio eorum est, quia antiqui juris cessat ratio, consequenter ejusdem dispositio: siquidem hodierno jure propter nullum delictum quantumvis grave, quis poenæ servus efficitur, Auth. *Sed hodie.* c. *de Bonis proscript. seu damnat.* et Novell. 134. cap. ult. ad finem. Ob quæ jura, licet sententia hæc improbabilis de jure non videatur. In praxi tamen attendenda circa hoc videtur locorum consuetudo, ut bene observat Layman, lib. III. tract. V. cap. III. n. 2.

307. *Incarceratus ad mortem, ante sententiam valide condit testamentum: imo etiam post sententiam, si ab hac appellaverit.* — Illud certum est, quod, si quis ante condemnationem condit testamentum, atque ante eandem decedit, testamentum valeat, licet ad mortem jam incarceratus sit, l. *Si quis.* 9. ff. *Qui testam. facere.* ibi: « Si quis post accusationem in custodia fuerit defunctus indamnatus, testamentum ejus valebit. » Imo, si quis in capitali crimine damnatus appellaverit, et tempore pendentis appellationis fecerit testamentum, et ita discesserit, valebit ejus testamentum, ut dicit l. *Qui a latronibus.* 13. § 2. ff. eod. Quæ notentur ab eis, qui incarceratos, vel damnatos ad mortem visitant.

308. *Deportati et banniti a Cæsare testari nequeunt.* — III. Sunt deportati, id est illi, qui a toto Romano imperio ejiciuntur, ita ut non tantum amittant omnia bona, sed etiam civitatem Romanam, cessentque esse cives Romani imperii. l. *Relegatus.* 14. ff. *de Interdictis et relegatis.* ibi: « Deportatio civitatem, et bona adimit, » l. *Ejus qui.* 8. § 2. ff. *Qui testam. facere.* Imo deportatis non tantum adimitur testandi facultas, sed etiam infirmitur testamenta ante deportationem ab eisdem facta, cit. l. VIII. ff. *Qui testament. facere.* His hodie æquiparantur banniti, seu proscripti ab imperatore, vel camera imperiali, « welche in die Reichs-Acht erkennt seyn, » utpote qui pariter cessant esse cives Romani imperii, et pro hostibus ejusdem habentur. Gailus, *de Pace publica.* lib. II. cap. XII. n. 3. et 5. Concordant statuta Bavariæ, tit. XXXIV. a. 11, ubi bannitis seu proscriptis ab imperatore, « welche in des Kaysers Acht sey, » testandi facultas specialiter adimitur.

309. *Bene tamen relegati et banniti ab imperii principe.* — Relegati tamen, id est illi, qui non ex toto imperio, sed a certa aliqua provincia exulare coguntur, potestate testandi gaudent, l. *Relegatus.* 18. ff. *de Interdictis et relegatis.* Ratio est, quia hi cives Romani esse non cessant; nec bona aut jura sua amittunt, l. *Relegati.* ff. *de Interdict. relegat.* ibi: « Relegati in potestate sua liberos retinent, quia et alia omnia sua jura retinent: et bona quoque sua omnia retinent. » Concordat, l. *Relegatus.* 14. ff. eod. ibi: « Magna est differentia inter deportationem, et relegationem, nam deportatio civitatem et bona adimit; relegatio neutrum

tollit. » Relegatis similes sunt, qui tantum ab aliquo principe, vel electore imperii proscribuntur, dum a provincia sua exulare coguntur. Sicut deportatis assimilantur banniti a Cæsare. Plura de relegatis, et deportatis qui desiderat, videat apud Jul. Clarum, *Testamentum*. q. 19. et 21; Schmidt, ad tit. XXXIV. a. 11. n. 51. et alios.

310. *Rei criminis læsæ majestatis testari non possunt: idem est de probris patriæ.* — IV. Testari prohibentur rei criminis læsæ majestatis, id est, qui hostile quid contra supremum principem, vel ejus consiliarios moluntur, l. *Quisquis*. 5. c. ad l. *Juliam majestatis*, ubi etiam aliæ pœnæ hujus criminis reis dictantur. Inter quas lib. VI. c. eod. etiam est, quod hæredibus quoque eorum, bona auferantur. Reis criminis læsæ majestatis communiter quoad effectum juris æquiparantur proditores patriæ, et omnes illi, qui in patriæ perniciem conspirant, vel quid moluntur. Concordant statuta loc. cit.

311. *Hæretici de jure testari non possunt. Excipiuntur aliqui hæretici in Germania.* — V. Ob delictum per leges prohibentur testari hæretici, l. *Manicheos*. 4. et *Arianus*. 5. c. de *Hæreticis*, ubi plurimi hæretici in specie enumerantur. Idem dic de receptoribus, defensoribus, et fautoribus hæreticorum, Authen. *Credentes*. c. eod. ibi: « Præterea receptatores, defensores, et fautores hæreticorum, quilibet talium, etc., sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec hereditatis successionem accedat. » Concordat jus canonicum c. *Excommunicamus*. 13. § *Credentes de Hæreticis*, ubi tenor Authen. *Credentes* ad verbum refertur. Notandum tamen, vi pacis Westphalicæ Lutherano-, et Calvinistas in imperio tolerari, indeque ibidem et factionis testamentorum, et aliorum jurium civilium capaces esse.

312. *Percutientes, et offendentes cardinalem testari non possunt.* — VI. Omnis ille, « qui S. R. E. cardinalem fuerit hostiliter insecutus, vel percusserit, aut cæderit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandat, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit, vel favorem, aut postea receptaverit, vel defensusaverit scienter eundem, etc., sit intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad alieujus bona ex testamento, vel ab intestato vocetur. » Sunt verba c. *Felis*. 5. de *Pœnis*, in 6.

313. *Usurariis quoque manifestatis prohibi-*

tum est testari. — VII. Sunt usurarii manifesti, horum enim testamenta ipso jure sunt nulla, nisi prius usuras restituant, aut de restitutione facienda idoneam cautionem præstent textu expresso c. fin. ad finem, de *Usuris*. in 6. ibi: « Testamenta quoque manifestorum usurariorum aliter (id est, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstent idoneam cautionem), facta non valeant, sed sint irrita ipso jure. » Quod intelligit etiam de testamento, quod testator prius, antequam usuras exerceret, condidit, Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut.* cap. III. ad finem, Imola in c. II. de *Testam.* n. 25. et alii a Covarruvia citati. Ratio desumitur ex textu citato, ubi indistincte quodvis testamentum usurarii, nisi restituat, vel cautionem præstet, nullum dicitur; atqui testamentum ante practicatum usuram factum, vere dicitur testamentum usurarii tempore illo quo testator usuræ subjacet; ergo nullum erit, nisi restituat, vel cautionem præstet. Quinam vero censendi sint usurarii manifesti, dicitur, lib. V. tit. XIX. de *Usuris*. Videri etiam potest Covarruvias, loc. cit. n. 5. et Menochius, de *Arbitr. Jud.*, lib. II, casu 235.

314. *Nisi ante mortem saltem restituant, vel cautionem præstent.* — Utrum autem testamenta ante usuræ usum, vel tempore, quod usuris subjacet testator, facta convalescant, si non ante, sed post factum jam testamentum, restitutionem facit, vel cautionem præstat testator, licet magna sit controversia inter doctores, ut videre est apud Jul. Clarum, loc. cit. q. 26. n. 3; Covarruviam, loc. cit. communis tamen docet testamentum omnino convalescere, dummodo ante mortem adhuc restituat, vel cautionem præstet usurarius testator; Jul. Clarus, loc. cit.; Joan. Andreas, et Ancharanus, in c. fin. de *Usuris*. in 6. et ibidem Glossa, §. *Aliter facta*. Schmidt, ad tit. XXXIII. a. 11. n. 68. et communis aliorum. Ratio est, quia talis revera satisfacit canonicæ constitutioni c. fin. de *Usuris*, in 6.

315. *Solvitur objectio. Non firmatur tractu temporis, quod ab initio de jure non subsistit.* — Nec obstant, quas adversarii objiciunt, et ob eas de jure veriore judicant sententiam contrariam, reg. 18. jur. in 6. « Non firmatur tractu temporis, quod ab initio de jure non subsistit: » et l. XXIX. ff. de *Reg. jur.* « Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. Nam contra-

est, quod per c. fin. de *Usuris*. in 6., testamenta usurariorum non absolute ac simpliciter, sed sub conditione videantur declarata nulla, videlicet, nisi ante mortem adhuc restitutionem faciat, vel de ea facienda cautionem præstet testator.

316. *Contrahentes incestuosum matrimonium non possunt testari.* — VII. Vi legum ob culpam testari non possunt, qui incestuosas nuptias contraxerunt. Ratio est, quia horum delinquentium bona statim fisco addicuntur, consequenter de eisdem disponere nequeunt. Novella 12. cap. I. ubi tamen additur, quod si liberi ex legitimis nuptiis extent præferantur fisco.

317. *Nec prodigi, ut tales declarati.* — VIII. Prodigii, quibus honorum administratio interdicta est. § *Item*. 2. Instit. *Quibus non est permissum*, ibi: « Item prodigus, cui honorum suorum administratio interdicta est, testamentum facere non potest; sed id, quod antea fecit, quam interdictio honorum suorum ei fiat, ratum est. » Idem habetur l. *Is cui*. 18. ff. *Qui testamentum facere*. Ex quibus testibus doctores communiter inferunt valere testamentum prodigi, non tantum illud, quod ante prodigalitatis vitium fecit; sed etiam quod manifestus prodigus fecit, si pro prodigo nondum declaratus est, arg. cit. *Juribus*. ubi expresse dicitur, quod testamentum, « quod ante fecit, quam interdictio honorum suorum ei fiat, ratum sit. » Mynsing. in cit. § *Item*. n. 2. Instit. *Quibus non est permissum*. et ibi Wesenbec., n. 3; Clarus, § *Testamentum*. q. 36. et Glossa communiter recepta in l. *Is cui*. 18. ff. *Qui Testamentum facere*; Bartolus, Jason, Dauth, Manz, et alii. Rationem dant, quia non ipsa prodigalitas, sed declaratio, et judicialis interdictio inhabilem ad testandum facit.

318. *Imo secundum aliquos etiam prodigi manifesti, etsi non declarentur, testari nequeunt.* — Non desunt tamen docentes testamentum, quod manifeste prodigus facit, etiam ante declarationem prodigalitatis invalidum esse. Moventur hac ratione, quod prodigus dicatur bonis lege interdicti, l. I. ff. de *Curat. furios.* et l. *Cui lege*, 18. ff. *Qui Testamentum facere*. Id autem lege fieri dicitur, quod sola fit lege, nullo hominis facto interveniente, arg. l. *Legitimos*. § prin. ff. de *Legitim. tutor.*, cum concordantiis. Verum quia textus § *Item*. 2. Instit. *Quibus non est permissum*, valde clare sonat, quod valeat testamentum prodigi, antequam interdictio

ei fiat, a communi sententia non videtur recedendum.

319. *Excommunicati et infames testari non prohibentur.* — Hactenus enumeratis ad testandum inhabilibus addunt aliqui excommunicatos non toleratos; communis tamen sententia contraria est, uti videre est apud Pirhing, h. t. n. 25; Abbatem, ad *Rubric.* h. t. n. 5; eo quod nullo jure videantur prohibiti testari, excepto casu, quod excommunicantur ob delictum inhabilitatem testandi inducens, quale est hæresis. c. XIII. de *Hæret.* et c. *Filius*. 5. eod. in 6. Idem est de infamibus, ut bene advertit Molina, disp. 137. n. 9; Covarruvias, 3. *Variar. resolut.* cap. III. n. 8.

320. *Ex natura inhabiles ad testamentum faciendum, etiam ad causas pias testari non possunt.* — Quæritur V. An hucusque recensiti ad testandum inhabiles, etiam ad causas pias testamentum facere nequeant? Resp. I. Illi, qui ex natura ad testandum sunt inhabiles, videlicet infantes, amentes, insani, furiosi, muti et surdi simul a natura, nec ad causas pias facere possunt testamentum. Communis ac certa. Patetque conclusio ex dictis supra, ubi cum communi aliorum diximus pro valore testamenti ad causas pias saltem ea adesse debere, quæ de jure naturæ requiruntur; consequenter ubi potestas testandi jure naturali deficit nullum etiam ad causas pias fieri poterit testamentum.

321. *De jure civili tantum inhabiles, possunt facere testamentum ad causas pias de illis bonis quorum dominium retinent.* — Resp. II. Qui solo jure civili sunt inhabiles ad testandum, valide ac licite possunt testamentum de iis bonis, quorum perfectum dominium adhuc habent. Riccius, in *Praxi aurea*. p. 4. resolut. 8, per totum; Bartolus, in l. I. c. de *sanctis Eccles.*; Engel, h. t. n. 4; Molina, Lessius, Sanch, et alii. arg. l. I. de *sanctis Eccles.* ubi imperator unicuique absque limitatione, consequenter etiam alias inhabilibus licentiam concedit testandi ad piam causam. Nam natura dictionis *unusquisque* est, neminem excludere, l. XXIX. ff. de *Hæredib.* instit. ibi: « Hoc articulo quisque omnes significantur. » Nec dicas cum adversariis per ly *unusquisque* intelligi unumquemque de jure habilem non vero inhabilem. Nam contra est, tum quod in dicta l. I. concessum est causis piis speciale privilegium; atqui non esset privilegium, si per ly *unusquisque* tantum intelligerentur alias jam habiles, ut bene observat Riccius loc. cit. et consideranti patet.

322. *Testamentum ad pias causas non subjacet dispositioni juris civilis.* — Probatur etiam ratione, videlicet, quia testamentum ad pias causas nullo modo subjacet dispositioni juris civilis, sed secundum canones, juraque naturæ et gentium judicandum venit, arg. c. *Relatum*. 11. h. t. prout ipsi etiam fatentur adversarii, qui propterea communiter docent quod in testamento ad causas pias mulier possit esse testis; item quod testes necessario non debeant esse rogati, etc. non obstante, quod jus civile contrarium disponat: ergo pariter non obstante, quod quis jure civili testari nequeat, poterit saltem testari ad causas pias, si de jure naturæ ac gentium inhabilis non est. Et profecto nulla apparet solida ratio, cur testamentum ad pias causas coram testibus fœminis valeat, et non valeat testamentum ad pias causas a prodigo v. g. factum, cum de jure civili non minus invalidum sit testamentum coram testibus fœminis, quam a prodigo factum: et ratio, ob quam testamentum ad pias causas coram fœminis factum valet, videlicet, quia in testamento ad pias causas non attenditur dispositio juris civilis, æque militet in testamento ad pias causas a prodigo facto: ubi autem eadem est ratio, ibi eadem esse debet dispositio.

323. *De bonis, quorum dominium quis non habet, nec ad causam piam testari valet.* — Dicitur autem notanter in conclusione, « de iis bonis, quorum perfectum dominium adhuc habent: » quia de bonis aliquo modo alienis, et de quibus sine præjudicio tertii testamentum a dictis inhabilibus fieri nequit neque ad causam piam testari valent. Ratio est; quia Ecclesia, et sacri canones causis piis privilegium cum præjudicio aliorum concedere nequiquam intendunt, arg. c. *iv. de Sepult.* in 6. ubi propterea filiusfamilias de bonis adventitiis (quorum usumfructum parens habet, consequenter quorum dominium perfectum ad filiumfamilias non pertinet) etiam ad causam piam testari prohibetur; ne videlicet alias præjudicium emergat patri, utpote qui usufructu, de jure sibi competente, si tale testamentum ad pias causas valeret, privaretur. Idem universaliter dic de omnibus illis, qui etsi solo jure civili testari prohibeantur, tamen ob delictum, confiscationem omnium bonorum inducens, sunt inhabiles ad testandum, quia cum leges civiles talibus delinquentibus bona juste auferant, eaque fisco attribuant, non intendit Ecclesia

cum præjudicio fisci, talibus concedere privilegium testandi ad causas pias.

324. *Hinc rei criminis læsæ majestatis, incestuose nubentes, deportati, banniti a Cæsare hæretici, filiusfamilias testari ad causas pias non possunt.* — Infertur proin, quod, quia juxta dicta, rei criminis læsæ majestatis; contra-hentes incestuosum matrimonium; deportati et banniti a Cæsare; et hæretici illico sua amittunt bona, eaque fisco cedere debent testamentum etiam ad causas pias facere non valeant, licet sola lege civili ad testandum sint inhabiles. Pariter quia filiusfamilias bonorum profectiorum, et adventitiorum perfectum dominium non habet; cum usufructus regulariter ad patrem pertineat, juxta dicta n. 295. nec ad causam piam testari valet. Aliud est de illis bonis profectiliis et adventitiis, quorum usumfructum pater non acquirit; cum enim horum perfectum habeat dominium filiusfamilias, testandoque nulli causet præjudicium, testari de illis ad pias causas poterit. Quænam autem sint talia profectilia, vide quæ diximus supra n. 296.

325. *Bene vero prodigi, impuberes, et damnati ad mortem.* — Infertur ulterius, quod, quia prodigi rerum suarum dominium retinent, testari ad causas pias valeant, non obstante, quod administratione bonorum careant; cum hujus privatio, testamenti factionem nequiquam impediatur, prout videtur est in minore pubere, qui testari juxta omnes potest; licet administrationem rerum suarum non habeat. Idem est de impuberibus pupillis septimum annum jam egressis, judicium sufficiens ac naturale ad peccatum mortale, consequenter etiam ad valorem naturalem aliorum actuum jam habentibus. Pariter quia juxta dicta supra n. 306. bona damnatorum ad mortem non confiscantur, testari saltem ad causam piam poterunt taliter damnati. (ADNOTATIO XXXII.)

§ XI.

DE TESTAMENTIS CLERICORUM TAM REGULARIUM, QUAM SÆCULARIUM: TAM MAJORUM, QUAM INFERIORUM.

Suppono prius ex dictis supra præced. tit. n. 3, et 4. Quænam sint; et dicantur bona clericorum patrimonialia, quasi patrimonialia, seu industrialia, parcimonialia, et mere ecclesiastica.

326. *Clerici testari possunt de bonis patrimonialibus, et quasi patrimonialibus.* — Quæritur I. An, et de quibus bonis clerici sæculares facere possint testamentum? Resp. I. De bonis patrimonialibus, et quasi patrimonialibus seu industrialibus clericis sæculares omnes tam majores, quam minores, æque ac laici facere possunt testamentum. Jul. Clarus, § *Testamentum*. q. 27; Abbas, in c. i. h. t. n. 1; Pirhing, h. t.; Navarrus, de *Reddit. Eccles.* q. 1. n. 59. et 82. cum communi et certa aliorum, claris juribus, c. *Quia nos*. 9. h. t. ibi: « Consultationi tuæ respondemus, quod clerici de his, quæ paternæ successionis vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam pervenerunt ad ipsos libere disponere valeant. De his tamen quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure facere possunt testamentum. Concordat, can. 1. et 2. cau. 12. q. 3. et can. *Episcopi*. 19. ead. caus. q. 1. ibi: « Episcopi de rebus propriis vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant. »

327. *Sicut et de parcimonialibus.* — Resp. II. Etiam de parcimonialibus bonis possunt clerici facere testamentum, dicitur Thomas, 2. q. 183. a. 7. in respons. ad 2; Covarruvias, de *Testament.* cap. vii. n. 9; Navarrus, de *Reddit. Eccles.* q. 1. mon. 26. et 43. ac 44; Pirhing, h. t. n. 33; Konig, eod. n. 27. estque communiter recepta sententia; ita ut Barbosa, in c. *Cum officiis*. n. 3. h. t. dicat ita de facto sentire omnes, etsi contrarium teneat Garcias, de *Benefic.* p. 2. cap. i. n. 9. Ratio conclusionis est, quia, ut supra tit. præced. n. 15. diximus, clerici bonorum parcimonialium perfecti sunt domini, habentque illimitatam potestatem de iis pro libitu disponendi; ergo etiam testandi, arg. cit. can. *Episcopi*. 19. can. 12. q. 1. ubi de propriis rebus testari, clerico conceditur; consequenter etiam de bonis parcimonialibus, utpote propriis, et ad dominium clerici spectantibus juxta dicta.

328. *Solvitur objectio.* — Nec obstat c. *Quia nos*. h. t. ubi dicitur, quod clerici de bonis, quæ intuitu beneficii perceperunt, qualia etiam esse videntur bona parcimonialia, nullum de jure facere possint testamentum. Nam contra est, quod ibi sit sermo de solis ecclesiasticis superfluis, hoc ipso, quod bona sustentationi necessaria, postquam clerico ad hunc finem semel data fuere et col-

lata, cessent esse bona ecclesiastica, sicuti bona superflua a clerico pauperi data; eo quod finis fundatorum jam sit impletus; ut proin sicut pauper ita acceptorum perfectus fit dominus, perfecteque de eis disponere potest, ita et clericus de bonis ad suam honestam sustentationem sibi collatis, perfecte disponere potest.

329. *De bonis ecclesiasticis superfluis, nec ad piam causam testari potest clericus, loquendo de jure.* — Resp. III. De bonis ecclesiasticis superfluis clericus penitus nullum, nec ad causam piam, de jure facere possunt testamentum. Omnes, ob clarissima jura, cit. c. *Quia nos*. 9. h. t. ibi: « Quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure facere possunt testamentum. » et c. *Ad hæc*. 8. eod. ubi, licet concedatur, quod clerici in vivis existentes de bonis ecclesiasticis eleemosynam dare queant, tamen etiam eleemosynæ causa, consequenter ad piam causam testari prohibentur, ibi: « Præsentibus innotescat, quod clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de jure testari non possint: viventes tamen, et sui compotes moderate valent aliqua de bonis ipsis, non ratione testamenti, sed eleemosynæ intuitu erogare in ægritudine constituti: » Concordat, c. i. et c. *Cum in officiis*. 7. et c. *Relatum*. 12. ac alia h. t. Ratio autem, ob quam Ecclesiam etiam ad pias causas de bonis ecclesiasticis testari prohibuit clericis, secundum Layman, lib. IV. tract. II. cap. III. n. 6; Navarrum, et alios, videtur fuisse hæc, ut clerici videntes, nullam sibi superesse facultatem de bonis suis mortis causa disponendi, a turpi illa ac nociva erogandi cura, et sollicitudine liberi, bona sua superflua adhuc in vivis in pias causas, pauperes præcipue, quorum patrimonium alias jam sunt, libentius erogarent. (ADNOTATIO XXXIII.)

330. *Vi consuetudinis possunt de præfatis bonis testari ad causam piam.* — Quæritur II. An non saltem vi consuetudinis clericis de bonis ecclesiasticis superfluis pro libitu tam ad profanam, quam causam piam testari valeant? Resp. potest induci legitima consuetudo, vi cujus clericis sæculares de bonis ecclesiasticis superfluis testamentum ad pias causas valide et licite condere queunt. Molina, disp. 147, n. 25; Pirhing, h. t. n. 40; Abbas, in c. *Cum in officiis*, h. t., n. 5; Layman, Navarrus, cum communi et certa aliorum. arg. c. *Relatum*. 12. h. t. Ratio est, quia testari ad causas pias clericis prohibi-